

P. VERGILI MARONIS

aut quos Oceano propior gerit India lucos,
 extremi sinus orbis, ubi aëra uincere summum
 arboris haud ullae iactu potuere sagittae?—
 et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris. 125
 Media fert tristis sucos tardumque saporem
 felicitis mali, quo non praesentius ullum,
 pocula si quando saeuae infecere nouercae,
 [miscueruntque herbas et non innoxia uerba,]
 auxilium uenit ac membris agit atra uenena. 130
 ipsa ingens arbor faciemque simillima lauro,
 et, si non alium late iactaret odorem,
 laurus erat: folia haud ullis labentia uentis,
 flos ad prima tenax; animas et olentia Medi
 ora fouent illo et senibus medicantur anhelis. 135
 Sed neque Medorum siluae, ditissima terra,
 nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
 laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi
 totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.
 haec loca non tauri spirantes naribus ignem 140
 inuertere satis immanis dentibus hydri,
 nec galeis densisque uirum seges horruit hastis;
 sed grauidae fruges et Bacchi Massicus umor
 impleuere; tenent oleae armentaque laeta.
 hinc bellator equus campo sese arduus infert, 145
 hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus
 uictima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
 Romanos ad templa deum duxere triumphos.
 hic uer adsidium atque alienis mensibus aestas:
 bis grauidae pecudes, bis pomis utilis arbor. 150
 at rabidae tigres absunt et saeua leonum
 semina, nec miseros fallunt aconita legentis,
 nec rapit immensos orbis per humum neque tanto